



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. LXXIX. De Fratре Hartmanno Magistro Pruschiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

*Poppe de Ostera VI. Magister Gener. Ord. Teutonici.
Hartmannus de Grunbach V. Magister Prov. Prussia.*

nisi de factis Regum & Principum & seculi vanitate. Ita quod filius meus & ego & Sanctorum vita raro vel nunquam recitatur.

CAP. LXXIX.

De

Fratre Hartmanno Magistro

Pruschia.

FRater (a) Hartmannus de Grunbach Magister terra Pruschie V. praefuit III. annis. Hic nomen habuit à re, quia durissima fuit cervicis. Interpretatur Hartmann. durus vir. Iste dictus fuit (b) Watmal ab illo (c) panno laneo, dicto Watmal, quod instituit fratribus defendendum. Ipse etiam duos fratres Ordinis sui, qui conspirationem fecerant cum Pruthenis in Apostasia post conflictum in Curonia, de quo infra dicitur, iussit in Elbingo comburi in conspectu multitudine populi circumstantis. De quo facto Dominus Papa tantum commotus fuit, quod ipsum Magistrum mandavit deponi de officio suo, & eum & omnes quorum consilio hoc actum fuit puniri poenitentia animalis.

An. Domini MCCLVII. Papa Alexander S. Claram de Ordine S. Damiani, que postea Sancta fuerunt Ordinis fratrum minorum canonizavit. Hoc tempore fuit Albertus Magnus Clericus de Almania Ordinis Prædicatorum qui in scientiis parem non habuit. Hic ipse Episcopatum Ratisponensem resignans in civitate Coloniensi XVII. annis actu fuit legens & ætatis sue anno LXXX. & Domini Anno MCCLXXX. mortuus & Colonia est defunctus. Floruit & eodem tempore Thomas de Aquino Discipulus Alberti Ordinis Prædicatorum, qui postea canonizatus fuit à Papa Joanne XXII. Anno Domini MCCLIX. Constantinopolis que per Gallicos & Venetas capta fuerat, per Palaologum Imperatorem Græcorum recuperatur. Eodem anno & Florentinis & Lucanis pugnantibus contra Senenses ultra sex milia capti & mortui ceciderunt.

ANI-

*Poppo de Osterna VI. Magister Generalis Ord. Teut.
Hartmannus de Grunbach V. Mag. Prusie Provinc.*

ANIMADVERSIONES.

- (a) Alii ipsum vocant Hermannum, sed hi ex presenti capite redargui possunt.
- (b) Dn. Zamelius putat legendum esse Waltmann q. *Gewantman*: vel si retinendum est *Watmal* putat dici *Watmal* quasi *Gewante schmaler*. Notatu digna sunt, quæ de hoc vocabulo habet Joachimus Vadianus in Notis ad Notberti Abbatis monumentum de fundatione cujusdam Ecclesiæ: *Watspende* vox barbara vestium donationem significabat, quas hodie certo tempore suis Abbates & Episcopi tribuunt. *Watt*, Germani vestitum vocant, & *Wattman* dictus vulgò qui pannos vendit. *Spende* autem vox apud nos etiamnum durat, quia annonam certo die certoque dimensu pauperibus distribuendum significamus. Hæc Vadianus apud Melch. Goldastum Tom. III. *Rerum Alemannicarum* pag. 93. conf. & Tom. II. pag. 74.
- (c) Pannus fuit in Prussia confectus, unde eum Auctor Chronici Latini sub Frid. scripti, appellat Pannum Pruthenorum. Addit etiam quod fratribus piscem, qui *Streckfisch* appellatur, edendum plerumque dederit. Waiffeliius verò f. 82. b. legit *Streckfisch*.

CAPUT LXXX.

De

Ædificatione castri in monte S. Georgii in Carsovia.

HOc tempore fuit in partibus Livoniæ Magister Frater Burgardus de Hornhusen, qui assumptus de terra Pruschia, datus fuit Fratribus Livoniæ in Magistrum. Hic quia notitiam plenam habuit utriusque terræ, & tanquam homo affabilis in omnium oculis fuit graciosus: ordinavit quod sub æqualibus expensis & laboribus fratrum de Livonia & Pruschia ædificabatur An. MCCLIX, castrum in terra (a) Carsoviæ in monte S. Geor-

Geor-